

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

25. Mercurius Vegetabilis acutatus sale Tartare Lulli

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

24. Aqua fortissima & virtuosa  
*Johannis de Rupescissa.*  
*Cap.43. lib. Essentia.*

**B**eatissimus Deus, creator Arcanorum, tot mirabilia condidit in Natura, ut nec intellectus noster, nisi pauca possit percipere, nec lingua valeat mirabilia Dei nisi balbutiendo narrare. Et ex Arcanis revelabo tibi aquam divinæ actionis, & magisterium ejus est, ut accipias optimum Tartarum album calcinatum, & pone in aliquo vase terreo vel vitreo, & infunde desuper meliorem aquam ardentem (*philosophicam*) quam poteris habere, & pone alembicum desuper, & destillabis aquam ardentem debilem valdè, quam remove, quia nihil valet vel parùm, nisi pro oculis aut membrorum lotione: Deinde accipias Tartarum tuum, & inveniès eum fortificatum in duplo, & hoc qualibet vice probabis linguâ. Iterum aliam aquam ardentem desuper pluribus vicibus appone, quia qualibet vice fortificabitur supra modum, & in tantum fortificare eum poteris, ut nulla creata actio ei valeat comparari. Quod si vis vim ejus centuplicare, tritura eam, & pone super porphyrium vel super marmor, ut convertatur in aquam, quæ postmodum destilletur per alembicum.

*Alia datur adhuc hujus cæli vegetabilis præparatio, non per Alkali sublimationem, nec cobobationem, sed circulationem simplicem; videlicet digerendo Alkali Tartari tamdiu in spiritu vini phil. donec supernatet olei instar super spiritum vini. Ita fit,*

25. Mercurius vegetabilis acutatus  
 sale Tartari Lullii.

*In camera prima individuorum, dist.3. libr.Essen.*

**I**N prima camera significatur, quòd noster Mercurius est in potentia H. (*Tartari crudi*) & ut ipsum extrahere possimus,

mus, oportet artistam dictum H. ponere in E. ( id est, in furno vitrariorum ) tribus diebus naturalibus & ejus sit multa quantitas, quoniam parva inde efficietur, quod H. (*Tartarum jam calcinatum*) moles subtiliter, & ponas ipsum in H. arboris philosophicalis (*in dissolutionem per deliquium*) in marmore in loco frigidissimo, & cooperies propter pulverem & H. convertetur in T. (*oleum per deliquium*) Quod T. destillet artista per filtrum in vase vitreo, & postquam artista habuerit T. ex H. paratum, nostrum Mercurium ex dicto T. poterit extrahere dupliciter. Primò per magisterium capituli. *Non reputes me, &c.* (*per circulationem instar Essentiæ vel spiritus vini Lullii.*) Secundò per magisterium capit. *Non prætermittam* (*per separationem Elementorum, de quo non in hoc loco;*) *Lullius aliquando loco olei Tartari per deliquium, sale Tartari depurato usus est, putà in Experimento primo.* Aliud, *inquit*, signum habes magis certum purificationis illius individui (*salis Tartari*) videlicet cum sal pretiosissimum in vase remanebit super ignem in forma olei, quod remotum ab igne subito congelabitur. Sed tibi, fili charissime, non sit tædio prolixitas temporis in solvendo hanc materiam, & congelando singulis vicibus, corruptionem removendo, qua remanente, nunquam poterit conjungi cum suo spiritu extracto à pretiosissimo & propinquiore individuo suo, quod est vinum optimum, ablata ab eo prorsus omni humiditate & corruptione. Tunc ipsum constitue ad circulandum in vase circulatorio, atque ita reducatur in quintam Essentiam & spiritum suum protinùs complectetur, sed hanc circulationem nos à principio triginta dierum spatio peregrimus, postea verò eandem absolvimus spatio dierum quadraginta, quæ circulatio fuit multo melior primâ, quia quo longiore tempore circulatur, eò magis subtiliatur, & efficitur aptum ad omnem physicam operationem nostram, quem ordinem cum opus fuerit, vos quoque observabitis.

*Non tantum menstrua hujus generis, variis modis ex alcali Tartari confici possunt, sed ejus loco alia etiam alcalia fixa sumere licitum est, uti sequens probat Menstruum.*